

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Alexander Benedictus Veronensis Physicus

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

[CCLXXXIX]

diffusa , neque succincta nimium , neque affectata denique videatur , ut legentium animos vividius penetret , aut excitet . Acriter item proponere debet , vehementius persuadere , irritare , urgere , suadere item & dissuadere , exemplis frequentibus animos infletere . Hæc omnia iis præponenda sunt , qui imperii tui gesta veluti romani nominis resplendentis descripturi sunt . Ego simplicius quædam quæ in dies gesta sunt annotavi , minime in gratiam adulator , vel in damnando nimis severus . Res hostiles debita commendatione non defraudo , ut magis narrator , quam censor acer & tetricus esse videar . Verbis & sensu restringitus incedo . Scio etiam quosdam jejune hanc historiam tetigisse , vel pauca vera demonstrasse , alias copiosiores ad vanitatem redigisse . Hæc enim humanissime Princeps , nitidiora melioraque fieri curabis , qui in rebus publicis Marcum fratrem tuum optimum Principem imitatus es , qui non minus intestinam quietem quam foris bella cum opus est , foves ; & civitatem miro studio uberiorem reddis pater patriæ appellatus , leges sanctissimas condis , munera in Senatu amplificans . Quadraginta viros peritos addidisti , Imperatoribus statuas publicare cœpisti , palatium miro ornamento extruis , & universam Urbem exornas : tuo demum ductu & optimis auspiciis rabies gallica perdomita est . Tuo consilio , ingenio & armis Gallorum truculentia ultra alpes coercita sœvit ; quam natura sagax (dicere id solitus es) alpium mirabili septo , & inexuperabili munimento a mitiori orbis parte diduxerat , ut pacem quam tantopere amas cum sanctissimo Senatu tuo amplectereris . Tu in hoc flagrantissimo bello Imperii terminos longius protraxisti . Jam Apulus te & Senatum tuum voti compos summis adorat & colit . Hæc enim faciunt , ut te magis ad Principatum divina ratione , quam Senatorum suffragiis delectum fuisse posteritas admiretur . Vale .

Venetiis , duodecimo Kalendas Aprilis , Anno M IIIID.

Ad calcem Voluminis

ALEXANDER BENEDICTUS VERONENSIS PHYSICUS

Sebastiano Baduario Equiti , O Hieronymo Bernardo Consiliariis Veneti Senatus Clarissimis S. P. D.

BELLI Galici libri , excellentissimi Consiliarii , qui nuper studiosissime recogniti sunt , in vulgus prodire audent , nec popularem censuram languide auctoritatis verentur discussis rebus omnibus . Verum multa de industria prætermisimus periculis undique obviis , quæ tamen non sine magna quorundam nota dici potuissent , et si ad Senatus hujus perennem gloriam pertinere non dubitaverimus . Vulgatissimum enim est , veritatem odia patere , & necem sœpen numero maturare : unde in plerisque rebus conscientiae illa elanguescit , emoriturque ; abducuntque in diversum vel inclinant scriptorem præsentia discrimina ; temerarii item animi esse putant hominem non sibi ignoscere . Connivere igitur paululum pro tempore opus fuit , donec posteris alii confidentius apertiora sine metu relinquant , quum ossa accineres iniquorum rabiem contemnant . Nos tamen intentionem non occultamus , quum strabonem quempiam , petum , vel claudum alium , infirmum talis parcus appellamus . Nostra igitur simplicitate contenti has ephemerides contractius expeditiusque conscripsimus , quas cum in castris essemus promisimus , & ea tam diligenter quam libenter in tantis occupationibus colle-

oo

gi-

